

P V I S



1 6 0 3

LX.

59

IN NUPTIAS
ORNATISSIMI ET
DOCTISSIMI IUVENIS D. PE-
TRI AMELVNGII Stendaliensis, & ho-
nestissimæ ipsius sponse MARGARI-
DOS ERNICÆ,

Michael Haslobius
BERLINENSIS.

ADDITVM EST CAR-
MEN IN EORVNDEN NV-
ptias à Gregorio Crusnicio Stenda-
liensi scriptum.

CK.



FRANCOFORDIÆ
cis Viadrum.

ANNO SALVTIS
1568.

LA

IN VENTIS
ORNAMENTIS
SOCIETATIS
MAGNOLIA
SOCIETAS

Michael Joseph
BARNUM

ADITVM ET CAR
MAGNOLIA
SOCIETAS

1852

FRANCIS
SOCIETAS



E L E G I A

QVA HASLOBIVS MVSAM AL

loquitur, vt Stendaliam vadat, & Petro Ame-
lungio felix Coniugium gratuletur.

EXue lugubres tandem mea Pieri vestes.
Soluere non semper luctibus ora decet.
Non etenim semper populantur frigora terras,
Nec pelagi nauis semper oberrat aquas.
Qui fuit ingressus fuluam gladiator arenam
Ocia quo voluit poscere, tempus erat.
Indue solennes tandem mea Pieri vestes,
Soluere festiuis fas erit ora sonis.
Qualis in ornatu color est cum gaudia fiunt
Debuerat talis corpus obire tuum.
Sic quoq; ver cultu monstret tibi mille colores,
Qui violis inerunt textilibusq; rosis.
At tibi spectentur nostri, post tempora, mores:
Non Domino debes cultior esse tuo.
Ergo niger velans artus sumatur amictus,
Vt ratio vitæ constet in vrbe meæ.
Rarior est certè, nostris vel nullus in oris
Cui veniens facili suscipiare manu.
Quid tibi cum gemmis? probitas te reddat amicam,
Virginibus decori cum queat esse pudor.
Scis Dea. Stendalij claram sic ibis ad vrbem,
Artis amatores quæ fouet ære tue.

A 2

Ibis,

Ibis, & à Viadro tecum mea carmina sumes,
Qui leget hæc placidè, forsitan vnus erit.
Fallor? an admissam mirabitur incola Nympham
Quod sit inornatus cultus in ore tuo?
Nec, nisi mens fallat, talis conspecta fuisti
Quà loca Relligio cum pietate fouet.
Perfer: in hoc cultu sperata videbere multis,
Quis sonitum possit semper amare tubæ?
Sapè lyræ blandis oblectant cantibus aures,
Callirhoë Viadro gratior esse solet.
At quod hyems instat, nimium ne Pieri pergas
Imparis ornatu conspicienda pedis.
Sæua nocent teneris interdum frigora membris,
Ingenijs etiam frigora sæua nocent.
Qui properat tardè metam contingere suenit.
Sic Iouis illustrem cochlea vicit auem.
Te discessuram patriæ lux proxima reddet.
Hinc vbi Cygnigeræ conspiciuntur aquæ.
Conferet hospitium Thomas & Thumius agræ
Marchiaci fulgens sidus vterq; soli.
Hospita, ne metuas, accedes grata: sed illinc
Cælichij patriam cernere Diua voles.
Cælichij cunas ad Haueli flumina vises,
Quæ reor Heroos sæpè probasse modos.
Vrbs vbi Brennipolis surget, te mœnibus infer,
Non tibi mansuetus tecta negabit Herus.

Ille

Restat vt effectis rebus me Musa reuifas,
Facta nouis herbis ferta, reuerfa, geres.
Adde preces illic, soboles vt vtriq; parenti
Mille ferat lufus, gaudia mille ferat.
Hinc felix abeas, & amicam vade sub urbem,
Vix alio poteris rectius esse loco.

DE DVLCISSIMO
CONIUGALIS AMORIS FOEDE.
re, inter honestum & eruditum iuuenem PETRVM
AMELVNGIVM, & pudiciffimam eius
fponfam MARGARITAM
ERNICÆ,

GREGORIVS CRVSNICIVS.

CHRISTE faue cœptis, castum mihi sumo laborem,
Sunt mihi pro fausto pauca canenda toro.
Te sine non licitè duo coniunguntur in vnum
Corpora, nec firmum perstat amoris opus.
En tuus ingreditur cultor sacraria templi,
Gaudia qui tædæ leta iugalis agat.
Est reliquas inter præstanti corpore Nymphas,
Maxima fœminei splendor honosq; chori.
Quam celebris lucens ornat reuerentia famæ,
Mixtaq; clementi cum pietate fides.

A 5

Namq;

Namq; sacris casta studiosè dedita rebus
Inuocat in triplici numine mente *DEVM.*
Vidit vt hanc nuper patriæ sub mœnibus vrbis
Illicò se calido sensit amore trahi.
Non secus exarsit proles Neptunia flammis,
Schœnidos vt vidit virginis ora suæ.
Nec mora, pro votis solam sibi iungere tentat
Participem vitæ participemq; tori.
Quid fit? vt illa proci mentem perspexit, amorì
Annuìt, & voto pondus habere dedit.
Mens erat ad dulces iterum diuertere Musas,
Huc vbi cœruleas Odera voluit aquas.
Sed castus dissuasit Amor, nec fata tulerunt,
Est, quò fata vocant, res bona, sponte sequi
Salue care *DEO* iuuenis, carissime nobis,
Digneq; solenni laudis honore vehi:
Quòd potius verbi diuini iussa secutus,
Eligis in casto ponere membra toro:
Quàm vagus illecebras polluti crimine mundi,
Quoq; rapit mentes tetra libido, sequi.
Tu quoq; laudatæ decus indelebile vitæ
Salue, non alij nubere digna, viro.
Cui genus è simili præclaræ sanguine stirpis
Ducitur, & pietas cum grauitate placet.
Munera namq; parens obijt dignissima scribæ,
Ciuibus & gratum, quod faciebat, erat.

Quid

Quid mores, placitamq; loquar sine crimine vitam,
Eius enim niueus pectora candor habet.
Fallor? an hæc illi laudum præconia partus
Virtutum studijs conciliauit amor.
Est aliquid claræ prognasce stemmate gentis,
At virtute magis nobilitare genus.
Ergo nihil, sponsum cur auerferis amantem
Margari, sub roseo cui lepor ore sedet.
Nil etiam, sponsam quòd spernas Petre, pudoris
Eximium præ se cum decus illa ferat.
Quàm benè cœlesti concordant numine iuncti,
Vna fides & mens quos facit vna pares.
Cernis, vt ex animo suauiter te voce laceffet
Optans se fidei tradere Nupta tuæ?
Res sacra coniugij verus, qui semina cœlis
Ducit, & æterna lege probatur, amor.
Fertilis vt blandis est nuda coloribus arbor,
Nunc vbi crudeli frigore regnat hyems:
Sic thalamus socij priuatus compare lecti
Friget, & est nulla prole beata domus.
Gratulor ergo tibi Petre dilectissime nuptam,
Quam tibi fatalis ducere iussit amor.
Margaridos grato precioso nomine gaudet,
Qua tibi nil gemma pulcrius esse velis.
Gratulor & doctum tibi candida Sponsa maritum,
Cuius in amplexus consociata redis.

Et

*Et precor ambobus degantur plurimæ vitæ
Secula, nec vestro sint mala fata toro.
Ludite quod præsens à vobis postulat ætas,
Vestraq; lætetur flore iuuenta suo.
Sic sobolis surgat vobis generosa propago,
Quæ referat matrem corpore, mente patrem.
Hæc satis: in CHRISTO, cui sunt pia fœdera curæ,
Mens vos vna liget, vos liget vnus amor.*

F I N I S.

Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





LX.

59

N NUPTIAS
TISSIMI ET
MI IUVENIS D. PE.
ELVNGII Stendaliensis, & ho.
psius sponsæ MARGARI
S ERNICÆ,

mael Haslobius
BERLINENSIS.

VM EST CAR.
EORVNDEN NV.
Gregorio Crusnicio Stenda
liensi scriptum.

CK.



NCOFORDIÆ
cis Viadrum.

NO SALVTIS
1568.

